



Q. B. V.



Cogitanti mihi specimen aliquod Academicum
luci publicæ committere, meamque in Me-
dico studio qualemcunque probare soller-
tiam, varia sese obtulerunt ardua simul ac
maximi momenti argumenta: nullum ta-
men sic placuit, ac præsens, quod de *LUE*
VENEREA inscribitur; cujus pertractatio sane, si sententia-
rum divortia Scriptorumque sibi contradicentium spectes
discordias, perquam difficilis: non minus quam in ipsa deni-
que decumbentium cura periculo plena, imo & interdum
funesta. Ingenue fateor, mihi ne per somnium quidem ob-
venisse, in eruditissimo hoc confesso Medicam Dissertatio-
nem ex Cathedra publica à me defensam iri, cum ante hos
quatuor annos in Celebris Aboënsi Academia ad Lauream
Philosophicam olim obtinendam Exercitio Academico de
POMIS HESPERIDUM viam mihi aperuissem: materia quidem,
ut videbatur, non ineleganti, sed leviter à me & pro ratione
ætatis tractata; eo tamen nomine forsitan non infeliciter,
quod, cum proprio diffiderem ingenio, aliorum vestigia mihi
sequenda duxissem. Sed nescio quomodo contigit, ut, post-
quam profectioes aliquot à Clarissimo, dum viveret, Me-
dico ac Professore D. Nic. WALLERIO privatim institutas con-
spexissem, genio meo ad hæc sacra subito converso, & ad
hærentem, ut fatear, ab ipsis incunabulis Artis Medicæ
amorem, recurrente, huic me disciplinæ totum traderem
ac consecrarem. Cujus studii has hic offero primitias, multa
A lectione